



VIRIS

*Amplissimo, Nobilissimis, Consultissimis
atq; Prudentissimis*

DN. CHRISTIANO HARTIGIO, Equiti Divi Marci
apprimé strenuo, Hæreditario in Hornis, Rei Politi-
cæ Sittaviensium Consuli Regenti gravissimo, &c.

DN. PHILIPPO STOLLEN, Hæreditario in Beethe &
Consuli de Re Politicâ Sittanâ meritissimo.

DN. CASPARO HERTRANFT, Hæreditario in Rat-
gendorf & Prætori judicii Sittaviensiu prudentissimo.

DN. JOHANNI EICHLERO, Patritio & Senatorii or-
dinis Asfessori Primario.

*Quatuor Columnis Reipublicæ
Sittanæ firmis*

Patronis suis magnis & Fautoribus
maximè deventrandis

offert banc exiguam operam

cum omni felicit's appreciatione

strenua loco

AUTOR.

A U Ω.
DISPUTATIO ETHICA
Prima
De

SUMMO BONO

PRACTICO,
QVOD SIT ET QVID SIT,

QUAM
Inclytæ Facultatis Philosophicæ præscitu ac indultu
PRÆSES

M. DAVID Schwertner / BOHEMUS,
Facultat. Philosophicæ Assessor & Collegii Major.
Princip. Collegiatus,

et
Respondens
FRIDERICUS Schmidt / Silesius, Artium Libera-
lium Bacc. & SS. Theol. Stud.

publicè proponunt
die 2. Septemb.
horis locoq; consuetis

LIPSIÆ,
Exscribebat Johannes Bauer.

DISPUTATIO ETHICA

1771
Dc

SUMMO BONO

PRACTICO
QVOD SIT ET QVOD SIT

Inclayre Facultatis Philolopnicæ practice acindulm

PRÆSES

M. DAVID BOHEMUS



FRIDERICUS SCHMIDT / silenius, Arrium libera

lunm Bacca & 22: Theol. stud.

publice proponunt

die 2. Septemb.

hore loco confectis

LIPSIÆ

Excipienda Johanne Bunt.





Σὺν Θεῷ.



Ulla utilior, nulla fructuosior considera-
tio, quàm *finis*: Hujus n. cognitio *περὸς τὸν βίον μεγάλην ἔχει ῥοπὴν & hac instructi finem facilius consequuntur, καθάπερ τοξόται σκόπον ἔχοντες, μάλλον ἂν τυγχάνοι μὲν τὸ δέοντ' &* inquit benè *Arist. lib. 1. Eth. c. 2.* longè felicitiùs ac illi, qui raptus Enthusiasticos expectantes de suo fine, propter quem tamen creati, ne vel tantillum sunt solliciti, sed cum isto rustico ad flumē, quod transire debebat, expectāt, donec omnis præterflueret aqua, de quo *Horatius lib. 1. Epist. 2.*

---- *Expectat dum defluat amnis, at ille*

Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Imò hujus cognitione destituti, nec titulum hominis merentur, sed *Asinis* similes judicandi, qui triticum ad molas ferunt, sed nesciunt quid, & quem in finem ferunt: Recti namq; officii æquè ignorant finem: *Scalig. Exerc. 355. & 249. Sect. 3.* Quæ supina ignorantia & neglectio, si radices egerit, ab *una parte*, nihil, nisi *Epicureismum* infert, sicut ab *altera parte*, ubi error circa finem hunc commissus fuerit, *nihil laudabile geritur*, siquidem actiones finibus judicantur, & ubi scopus præfixus habetur perversus, ibi tota vita, quippe eò directa, contaminata vivitur: Prout satis concinnè & appositè *Cicero lib. 1. & 5. de fin.* hâc de re differit, inqviens: *Ceteris in rebus sive prætermissum, sive ignoratum sit quidpiam, non plus incommodi est, quàm quanti quæq; earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid: Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorare necesse est, unde tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint.* Hactenus verba *Ciceronis*, quæ tam vera sunt, ut plerosq; non *majora minoribus, non potiora levioribus, non divina humanis, vel sempiterna caducis* antepone videamus, sed *præ voluptatibus, præ divitiis, præ inani gloriola, pietatem, sapientiam, virtutem, & veram beatitudinem*, ne pili quidem facere deprehendamus: Quod ipsum est unioni granum hordei præferre, nubem pro Junone arripere, aurea cum æneis arma Glauci more permutare. Quapropter ut huic vitio in tempore mederi discamus: Age studeamus & *solicitudini*, ne in vestigando torpeamus, & *prudentiæ*, ne in eligendo fallamur: Quod ut assequamur, diligentem summi boni ceu finis ultimi considerationem ope *infiniti & æterni boni* suscipiemus.

THESIS I. Datur summum hominis bonum seu ultimus
finis.

§. 1. Ita merito ab hujus ζητήματα & ἐξηγήσει incipiendum; Si enim non datur, frustra de eo solliciti erimus, non enim nulla affectiones.

§. 2. Esse autem homini hac etiam in vita bonum quoddam propositum, ad quod sua debeat referre cogitata, docet hoc universum & omnis in eo creatura, quippe quæ ad certos & sibi destinatos fines propendet: *omnes enim res naturales ad metam ferre videmus.* Considerentur modo omnium rerum genera, quorum quatuor deprehendere licet, scilicet ὄντα & *Entia specialiter dicta*, quæ solum esse habent, ut cælum, elementa & alia inanimata, sive ζῶντα vel *viventia*, quæ præter esse, vitâ quoque gaudent, ut plantæ, arbores &c. seu αἰσθητά & *sensibilia*, quibus ultra essentiam & vitam etiam anima sensitiva concessa, ut animalia bruta, sive tandem λογικά & *rationalia* seu intelligibilia, quæ præter esse, vivere, sentire etiam intellectum habent: Hæc inquam considerentur, & ceu singulis scopum ad quem colliment, certum præfixum esse quivis experietur: Unde omnia hæc *sui destructionem fugiunt adeoque bonum appetunt.*

§. 3. Et quamvis hoc proprium sit rationalis creaturæ, ut appetat bonum & agat propter finem, quippe quæ sola finem cognoscit, & ad eundem suas actiones ordinat: Nihil tamen est in toto naturæ latifundio, quod ad bonum non feratur & propter finem non agat, quod Thomas 1.2. quest. 1. art. 2. satis nervosè ita demonstrat: *Causarum, inquit, ad invicem ordinarum si prima subtrahatur, necesse est etiam reliquas subtrahi, sublato enim fundamento corrui superstructum: Prima autem inter omnes causas est causa finalis, cujus ratio est, quia materia non sequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente, nulla enim potentia seipsam seipsa actuat: Agens autem non movet nisi ex intentione finis: Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Cum autem determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis.* Ubi autem notandum monet Autor, quod *determinatio* ista non uno eodemque modo se habeat, aliter enim fiat in homine ceu *rationali creatura*, per rationalem appetitum, qui dicitur voluntas; Aliter autem in *irrationalibus & solum viventibus* per appetitum sensitivum, & inclinationem naturalem, ab alio scilicet & non à seipsis motam, cum non cognoscant rationem finis. Quæ omnia tam vera, ut ipse Philosophus non vereatur quadruplicem

plicem Entibus antea recensitis assignare appetitum. 1. *Naturalem*
 quo res inanimatae absq; notitia feruntur in objecta sibi conveni-
 entia. 2. *Vegetativum*, quo viventia inclinantur in bonum sibi pro-
 portionatum. 3. *Animale, vel sensitivum*, quo animalia praevia sensu
 cognitione objecta sibi convenientia appetunt. Et tandem *Ratio-*
nale, quo homo in bonum per intellectum apprehensum secundum
 liberum arbitrium fertur. Ex quibus sic positis sequentes duas ne-
 cessimus conclusiones. 1. *Si omnes res agunt propter finem certum, utiq;*
& homo, absurdum enim foret omnibus rebus bonum & finem esse
 propositum, hominem autem tali carere: *Ἄνθρωπος καὶ ἀπὸ τοῦ οὐκ ἔστιν ἄλλο*
ἄλλο καὶ χειρὸς, καὶ ποδὸς, καὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὅλων ἐκείνων, φαίνεται τὸ
ἔργον, ἔτι καὶ ἀνθρώπου πρὸς πάντα τὰ αὐτὰ, δεῖν τις εἶναι ἐργόν τι. *Arist.*
lib. 1. Ethic. c. 7. *Omnes autem agunt propter finem, quod iam dedimus*
monstratum. E. 2. *Si solus homo sine suo frustrandus, danda erit causa,*
quae vel dignitas, ob quam caeteris superior, vel levitas, ob quam infe-
rior. Non autem dignitas, quia sic tanto magis finem certum requi-
ret, & tanto praestantior: Quod enim res praestantior, eo etiam fi-
nis excellentior: sicut enim ex finibus actiones, ita & rerum digni-
tas recte aestimatur. Neq; levitas, homo enim quis & quantus? finis
αὐτῶν Arist. 2. Phys. tit. 24. Illud ἐν πρῶτῳ ὁ ἀπὸ πάντα συντέτακται lib. 1.
Metaph. c. 11. maximum Naturae miraculum Plat. lib. 2. de leg. Mensura
rerum & finis universi Trismegistus referente Livio. Caeteris ergo rebus
omnibus praestantior & dignior, caeteris quoq; rebus omnibus lon-
gè praestantior finem habebit praefixum.

§. 4. Cum ergo detur finis & homini quoq; talis concedatur,
 concedendus est quoq; aliquis *summus & ultimus*: Cum enim non
 tantum omnia agant propter *certum finem*, sed etiam *finium illorum*
unus propter alterum sit, oportet tandem in *uno* omnia studia & acti-
 ones nostrae desinant, quod sit finis omnium, & ad quod omnia re-
 liqua referantur, ipsum autem aliò nusquam. Si enim hoc non con-
 cedendum, in infinitum abeat appetitus, necesse est, nihil enim e-
 rit, in quo acquiescat: *ἀδύνατον αὐτὸν εἰς ἀπειρον ἵέναι lib. 2. metaph.*
c. 2. seu impossibile est infinitum procedere in causis moventibus, quia non
esset primum movens; quo subtracto alia movere non possunt, cū
non moveant, nisi per hoc quod moveantur à primo movente.
 Quod si verò respiciamus *finem*, invenitur in eo *duplex esse*, seu ut
 Thomas loquitur *1. 2. q. 1. art. 4. duplex ordo, unus intentionis, alter autem*
executionis, quorum verò uterq; continet in se aliquod primum seu

principium: Sive enim finis consideretur sub *ratione intentionis*, intentionis est quasi principium movens appetitum rationalem, sive aestimetur in *ordine executionis*, & tamen involvit principium, unde scilicet incipit operari: Quæ principia omnino probant finem ultimum, & ostendunt, quod ex neutra parte possibile sit in infinitum procedere: Quia si non esset ultimus finis, nihil appeteretur, nec appetitus sisteretur, nec ulla actio terminaretur: Si autem non esset primum in his quæ sunt ad finem, nullus inciperet agere, nec terminaretur consilium, sed iterum in infinitum procederet.

§. 5. Quamvis autem sint qui plures hominis fines ultimos fingere non erubescant, cum ex ipsorum mente *plura simul stare queant & se invicem non excludant*: Fingunt tamen ejusmodi homines saltem sibi tures, & dicunt aliquid, quod probare nequeunt: Si quidem impossibile iterum est, voluntatem unius hominis simul se habere ad diversa plura ceu ad fines ultimos. Quemadmodum enim dicente *Thoma 1. 2. q. 1. art. V. in processu rationis principium est id, quod naturaliter cognoscitur, ita in processu rationalis appetitus oportet esse principium id, quod naturaliter desideratur*: hoc autem non potest, nisi unum esse, quia natura non tendit, nisi in unum: principium autem in processu rationalis appetitus est ultimus finis. Unde oportet id, in quod tendit voluntas sub ratione ultimi finis, esse unum. Et licet *plura ex mente quorundam simul stare queant, si scilicet ad invicem oppositionem non habent*: tamen hoc requisitum denegatur pluribus ultimis finibus, nam ultimi finis esse involvit hoc, ut impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur: quod esse autem non potest, si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur: Unde bono perfecto opponitur id, quod est de perfectione rei extra ipsum.

TH. II. Hujus ultimi finis seu summi boni consideratio, alia est *εσιώδης*, alia *επισιωδης*. Illa proponitur vel *κατὰ θεσιν* vel *κατ' ἀρσιν*: *κατὰ θεσιν* vel positivè quoad summi boni definitionem, & quidem ratione nominis in *Etymologia*.

§. 1. In omni enim *definitione & nomen & res ipsa* diligentem meretur explicationem. Cum autem nominis explicatio contineat *ὀνοματολογίαν*, quæ tribus absolvi solet *membris*, *Etymologia*, *Homonymia* & *Synonymia*: Rectè primum circa *Etymologiam* occupati sumus, secundum quam *bonum* deducunt Autores à *boando* quod

quod quasi *boet vel clamat*, ut ad se alliciat: Sicut Græcis dicitur vel
καλὸν δὲ πο' τὸ καλεῖν à vocando, quod nos ad se vocet, vel *ἀγαθὸν*
δὲ πο' τὸ ἄγειν à ducendo, quod nos quasi ducat ad sui volitionem &
appetibilitatem: Dicitur autem bonum non à solo appetitu, quod
bonum sit, quia appetitur. Nam appetitus non est boni *συστατικὸν*
seu constituens, sed *παρεπόμενον* seu consequens, adeò ut non res
ideò bona sit, quia appetitur, sed contrà appetatur, quia bona est, &
ob perfectionem suam, quam adeptæ est, nobis convenire existima-
tur.

§. 2. Ultimus autem finis dicitur bonum (α) à causa efficiente
vel remota, quæ Deus, qui solus bonus, & à quo omnia bona proveni-
unt: vel proxima, quæ actiones humanæ & virtuosæ, qualis enim cau-
sa, talis effectus. (β) à causa materiali, quæ consistit in operatione,
non mala, sed optima, quæ finì ultimo suam communicat bonita-
tem, ut meritò bonum salutetur. (γ) à causa finali vel potius effectu,
summo enim bono, cum ipsum sit ultimus finis, finis propriè sic
dictus non competit: habet tamen nihilominus effectus maximè bo-
nos, scilicet bonam conscientiam & animi tranquillitatem, de quibus se-
quenti disputatione σὺν Θεῷ dispiciemus. (δ) à notis & proprietatibus es-
sentialibus: dicitur enim (1) *δι' αὐτὸ ἀγαπητὸν* propter se expetibile 1.
Eth. c. 5. Expetibile autem quod est, debitam habeat bonitatem ne-
cesse est, quæ expetibilitatem ipsi conciliat. (2) *αὐταρκές αὐτὸν c. 5. 1.*
Eth. seipso contentum, adeoq; omnium bonorum abundantiam cõ-
plectitur: Non enim aliud extra se quærit bonum, sed in seipso per-
fectum est, licet aliis ceu ministrantibus & organicis opus habeat.
(3) *θεῖον vel divinum 1. Eth. c. 9.* ratione scilicet causæ efficientis, quia
à Deo qui omnium bonorum optimum quid. (4) *κοινωνικὸν vel sui*
communicativum c. 5. 1. Eth. quia uti hæc est natura omnis boni, ut se
diffundat, & aliis unà profit, suamq; bonitatem communicet, ita
quoq; summi boni hoc proprium est, ut se prodat & aliis utendum
offerat.

§. 3. Bonum autem hoc dicitur non quodvis, sed *Summum*.
non quidem ἀπλῶς, alias enim juxta se non pateretur *æternum sum-*
mmum, quod enim summum absolutè, unicè summum est, quale hîc
nō datur, adest n. etiam *summum Theoreticum*, & si Theologiam con-
sulimus, aliud hoc superius monstrat, scilicet *fruitionem Dei*, sed *χε-*
ρικῶς vel comparatè in certo genere vite, nimirum *civilis*, ubi in Sphæ-
ra actionum civilium manet summum adeoq; tale dicitur. 1. *Originaliter*, quia est à summo principio scilicet Deo datum, non quidem

per

per immiſſionem ſeu infuſionem ἀμυσοῦν, acquiritur n. virtutis actione
ſed ἐμυσοῦν habendo laboris noſtri conditionem annexā. Nam

2. *fundamentaliter*, quia hoc bonum eſt βᾶσις ſeu fundamentum re-

liquarum actionum moralium omnium, utpote quas omnes ſuſti-
net, ipſam autem ab eis non ſuſtentatur. 3. *Materialiter*, quia ad con-
ſequendum ſummum bonum non una vel altera actio ſufficit, ſed
plures *requiruntur actiones*, quæ tandem habitum, ex quo fluunt o-
perationes ad ſummum bonum tendentes, conſtituunt, atque
ſic ſummum bonum efficiunt.

4. *Effectivè*, quia ſummi
boni effectus nobiliſſimus ceu theſaurus precioliſſimus promanat,
bona ſcil. conſcientia & animi tranquillitas, quæ nihil jucundius,
nihilq; dignius, adeo ut *Periander* aliquando ſciſcitatus, *quid in mi-
nimo eſſet maximum, rectiſſimè reſponderit: Bona mens in corpore ſano:*
Nam ſecundum *Horatium lib. 1. Epist. 1.*

--- *Hic murus abeneus eſto*

Nil conſcire ſibi, nulla pallescere culpa.

*Conſcientia enim bona ſecundum Auguſt afficit gaudio viventem, ſola-
tur morientem & æternum durat, Epist. ad conſtant.*

TH. III. Ratione Homonymiæ.

§. 1. Hæc enim ſequitur *Etymologiam* & proponit varias ſum-
mi boni acceptiones & ſignificationes; quas tamen omnes hîc re-
cenſere anguſtia chartæ vetat; ſufficit potiffimas & quæ maximè
hîc ſpectare videntur, nos allegaſſe: & primò notandum, quod
ſummum bonum dicatur vel *ſimpliciter, abſolutè & independentè*,
quale eſt *Deus*, qui intellectum noſtrum & appetitum perfectiſſimè ſati-
at, qui à nullo, ex nullo, per & propter nullum quoq; eſt, ſed à quo, in quo
per & propter quem ſunt omnia, quiq; bonum ſummum & infinitum, eſſen-
tia, origine, perfectione & operatione: de quo potiffimum Theologi.
Vel dependentè, ſecundum quid & in certo genere, quod dicitur Philo-
ſophicum: Hoc autem viciffim duplex vel *Theoreticum vel Practi-
cum*, (voluntariò hic omittimus diſiſiones, quibus bonum eſt vel
transcendèntale vel naturale vel humanū, & hoc viciffim vel animi
vel corporis vel fortunæ &c. de quibus & aliis pluribus vid. *Piccol.
grad. 9. Phil. moral. Heiderus Phil. Mor. p. 62. 63. 64. ſeq. Beat. Meiffn. diſſert.
de ſummo bono c. 1. q. 2. Eth.*) quorum illud *Theoreticum* ſcilicet in con-
templando, hoc autem *practicum* in agendo conſiſtit: Illud circa res
divinas & ſempiternas, earumq; cauſas, affectiones & principia, hoc au-
tem

tem circa *humanas & mutabiles*, quæ ad rectæ rationis & honestatis normam spectant, occupatur: Illud facultatem *γνωσικὴν* seu *ἰπισιμονικὴν* hoc *ὀρεκτικὴν* vel volentem & appetentem perficit: Illud est *functio animæ rationalis*, secundum *virtutem perfectam intellectualem*: Hoc autem *functio animi* secundum *virtutem perfectam moralem*: Non ergò de illo, sed de hoc nobis in tota dissertatione sermo est, quia hic *non docemur scire, sed facere, non speculari, sed operari.*

TH. IV. Tum ratione Synonymiæ.

§. 1. Varia admittit summum bonum Synonyma: dicitur enim *Græcis τὸ ἀγαθὸν πρᾶκτὸν* bonum morale vel activum, quia in agendo consistit, item simpliciter *ἀγαθὸν* lib. 3. *Eth. c. 1.* ut intelligatur omnium bonorum optimum, non quod magis vel minus respuat, sed quod ultimum sit & præstantissimum reliquorum, prout etiam innuit *Philos. d. 1. δῆλον ὡς τὸ ἀνὲν εἶναι τὰ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἀέλσον*, perspicuum est, quod hic finis ultimus sit bonum, imò omnium bonorum optimum, 2. *Εὐδαιμονία* ἀπὸ τῆς εὐδαιμονεῖν, quod est rem benè gerere vel felicem esse: hoc autem deducitur ab εὐ quod est benè & δαίμων, quæ vox tum *animum*, tum *Genium* significat: ita *εὐδαίμονα* vocat Philosophus ex mente Xenocratis eum, cui *demon bonus*, seu ut explicat Xenocrates, cui *animus bonus datus est* lib. 2. *Topic. c. 2. circa finem.* Quod autem *Genium* concernit, senserunt veteres, cui libet homini, si nascatur, duos addi *Genios*, bonum & malum, quorum ille ad bonum, virtutem scilicet & res secundas gerendas ducat, hic autem ad vitia & res adversas rapiat, quâ de re plurib. vid. *Plutarch. in lib. de Anim. tranq. & Erasmi in prov.* Voluerunt itaq; unâ indicare, tum quod bonus animus tantum ejusmodi felicitatem sortiatur, tum quod à bono Genio seu potius à Deo proveniat, 3. *εὐζωία* καὶ *εὐπραξία*, recta vita & laudabilis actio ἀπὸ τῆς εὐπραξίης vel τῆς εὐζήης à benè agendo vel vivendo: Hoc enim bonum qui possidet, benè agit, & ejus vita bona & honorata per id efficitur. Tandem *μακαρισμός* beatitudo, quæ vox ab adjuncta voluptate & lætitia secundum *Piccolomineum grad. 9. c. 2.* derivatur, *μακαρίζειν* enim dici voluerunt Prisci ἀπὸ τῆς μέγα χαίρειν à valdè seu maximè gaudere: *Philosophus* quidem 1. *Eth. c. 12.* putat hoc nomē *μακαρισμός* Deo, qui solus undiquaque beatus & lætus est, competere, *εὐδαιμονίαν*

B

autem

a utem hominibus convenire: Verum usus obtinuit, ut vocabula hæc promiscuè de Deo & hominibus tam in scriptis profanis, quàm sacris usurpentur; prout apud Lexicograph. videre licet.

TH. V. Ita de ὀνοματολογία. Hanc excipit πραγματολογία, ubi definitio rei ponderanda, quam à Philosopho lib. 1. Eth. c. 7. mutuatam, saltem aliquâ restrictione auctam talem sistimus. Beatitudo est peoratio animæ rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam moralem in vita perfecta.

§. 1. In qua definitione duo notanda: Genus & differentia: Non enim hic multum circa definitum occupari esse volumus, siquidem antea explicatū, quid εὐδαιμονίας vel beatitudinis vocabulū involvat, qualem etiam hic intellectam velimus, sc. nō spiritualem hujus vitæ, quæ in remissione peccatorū, nō aternā, quæ in Dei visione, non speculativam, quæ in rerum contemplatione cōsistit, sed activam & moralem seu civilem, qualis etiam in non-renatum cadere, & ratione conversationis civilis dari potest.

§. 2. Generis itaq; loco ponitur à Philosopho Operatio vel actio, cujus rationem manifestam dare possumus 1. à beatitudinis notatione, siquidem beatitudo est ultima hominis perfectio, finis enim ejus; sed finis ejus, cujus est finis, perfectio est Scal. exercit. 354. Unumquodq; autem in tantum dicitur perfectum, in quātum actu existit; Nam potentia sine actu imperfecta, & propter actum habitus est: Jam autem præstantius est id, cujus gratiā aliud est, Arist. l. 2. Phys. c. 3. tb. 31. & propter quod aliquid tale est, illud magis est tale. Nō ergò in quiete vel virtutis saltem κτήσει seu possessione, sed χεήσει seu usurpatione, ut Philosophus loqui amat lib. 1. Eth. c. 8. & lib. 1. Magn. Moral. c. 4. seu ultimo actu hominis consistit; Quod innuit iterum Philosophus Magn. Moral. c. 3. sic inqviens: Ceterum non est simplex finis sed duplex, quorum alter est ipsa actio, & usus, sicut visus: Est nimirum usus optabilior habitu: Usus autem (hujus) est finis, nemo enim vult visum habere, nisi sit visurus aliquando, sed oculos clausos gestet. Idem de auditu similibusq; dicendum: Quorum proinde & usus & habitus est, semper melius & optabilius quid eorum est usus habitu: Usus enim & actio sunt finis, habitus autem propter usum. Hactenus Aristoteles. Non ergò beati qui norunt, quæ recta sunt & honesta, sed qui faciunt: Non justus, nisi justitiam exerceat; Non fortis,

fortis, nisi etiam fortiter, cum opus est, pugnet. Et sicut in Olympi-
 picis certaminibus coronam mactabantur, non, qui pulchritudi-
 ne & valido corporis robore alios antecellebant, sed qui certan-
 do victores evadebant, & pulchritudinis & roboris sui specimen
 edebant: sic quoque non stertentes vel dormientes, sed strenue &
 acriter virtuosè agentes & pugnantes, felicitatem hanc ceu *βε-
 βαιο* prensant. 2. Ex rerum aliarum inductione, omnes enim res
 ad finem ac proprium munus, in quo earum bonitas & perfectio
 consistit, conditæ sunt, quod tam clarum ac manifestum est, ut
 non tantum de singulis humani corporis partibus probatum
 det Philosophus, cum *oculorum sit videre, aurium audire, lingua gu-
 stare, hepatis sanguinem efficere, ventriculi concoquere, &c.* Sed etiam
 in omnibus artibus id ostendat, quarum omnium finis in ipsa opera-
 tione, prout *faber à fabricando actione scilicet nomen & appellationem
 habet, pictor à pingendo, Cantor à canendo, &c.* Quæ omnino ar-
 guunt summum bonum in operatione consistere, quod enim de
 singulis partibus conceditur, quis toti denegare id audebit. 3. Ex summi
 boni conditione & appellatione, dicitur enim perfectum 1. *Eth. c. 7.*
Perfectum autem est illud, cui non addi potest aliquid Scal. Exercit. 249
s. 1. Virtus autem tale quidpiam non est, ei enim, cum sit actus
 primus vel habitus, potest addi actus secundus, vel actio per quam
 magis perficitur. Sic nominatur *εὐπεραξία* bona & proba actio
c. 8. l. b. 1. Eth. dici autem requirit in esse, E. in operatione & actio-
 ne consistat necesse est. 4. *Addendum tandem & hoc:* Summum
 bonum collocandum est in eo, per quod intimius cum Deo ne-
 ctimur & copulamur: sed per actionem propius & firmitus ne-
 ctimur cum Deo quam per habitum, quia de re fusius differentes
 vid. *Piccolomineum grad. 9. Phil. Moral. c. 12. & Horneum in Phil. mo-
 ral. lib. 1. c. 7.* Concludimus itaque, beatitudinem in operatione tum inter-
 na, quæ animi moderatio, tum externa, quæ subsequens operatio, sitam
 ac positam esse.

§. 3. Et quamvis ob assertionem hanc nostram jugulum
 nobis petere quædam videantur, tanta & talia tamen non sunt,
 ut nos à statione nostra dimoveri patiamur: Quod enim primum
 concernit, quod scilicet beatitudo sit qualitas, unde actionem ceu re-
 latum genus habere nequeat, parum nobis nocet: Siquidem illi,
 qui hoc utuntur argumento 1. *Petitionem principii incurrunt, cum*

nondum probatum ab ipsis fuerit, beatitudinem hanc nostram puram esse qualitatem, si ad hominem vel beandum vel beatū, si ad vitæ beandæ causas, si ad effecta, ad adjuncta & contraria referatur. 2. *Licet vel maximè concedamus, absolutum quid esse, attamen nondum evictum, actionem non minus genus, quam virtus μεσότης habere posse.* 3. *Sciendum quoq; dari relata, quæ concreta genera absoluta habere possunt, exempli loco nobis esse possunt, ut taceam alia multa magistratus & subditi, Præceptores & discipuli, mariti & uxores, emptores & venditores, qui personæ titulo efferuntur & definiuntur: Ut enim quod 4. loco esse potest, absoluta sine relationis adminiculis, non benè cognosci possunt, ita quoque relata sine absolutis esse vel benè considerari nequeunt.* *Alterum nec plus efficacie habet, quod scilicet beatitudo quies sit & non actio.* R. *Nam utrumq; & actio & quies, actio virtutum continua (ubi continuitas ipsi assignatur non secundum existentiam individualem, contingit enim eam in individuo, pro circumstantiarum diversitate interrumpi; Nisi aliquis cōtinationem ita interpretari velit, ut virtuosus possit virtuosè agere, quando, quomodo & ubi vult, licet non sine interruptione: Etsi enim aliquando homo actu non operetur ejusmodi operationem, attamen quia in promptu habet eam, semper potest operari: Imò quia etiam ipsam celsationem puta somni, cibi capiendi, vel occupationis alicujus naturalis ad operationem prædictā ordinat, ipsi hæc ordinatio debet esse, quasi continua operatio. Sed secundum speciem, ubi ab omnibus circumstantiis individualibus, quarum ratione intercapedinem admittere posset, præscindendo, in continuitate meritò ponitur.) Quies etiam esse valet ab omni malorum genere v.g. à cupiditatibus & perturbationibus, à vitiis ac flagitiis à conscientia morfu &c. si perfecta est. Reliqua argumenta, quæ hic objici possunt, reservabimus ipsi conflictui.*

TH. VI. Absoluto Genere sequitur Differentia, quæ petita est 1. à causa efficiente s. principio. 2. à forma. 3. à proprio. 4. à subjecto s. adjuncto.

§. 1. *Quod causam & principium beatitudinis concernit hoc triplex esse potest, vel remotum, quod est ipse DEUS, ab hoc enim omne datum optimum & omne donum perfectum: hic est*

est fons & largitor minimorum quosque bonorum, multo magis etiam summi & ultimi boni, optimum enim & perfectissimum, non nisi ab optima & perfectissima causa: Unde Philosophus digitum quasi ad hanc causam intendens bonum hoc Θεῖον καὶ Θεόσδοτον vocat: *Propinquum* autem est homo, crebris actionibus beatitudinem hanc ceu palmam sibi propositam, acqvirens: Bonum enim hoc nostrum non est donum ἀμεσον sed ἔμμεσον, quod operam nostram non respuit, sed eā indiget.

§. 2. Cūm autem homo ex duabus constet partibus, anima scilicet & corpore, & corpus materia, anima autem forma rationem obtineat; Summum autem bonum sit operatio, non tam respectu materiae, quā forma utpote, quae & esse & distingvi & operari, dat, hinc rectè homini ejusmodi bonum respectu anima ceu principii vel cause proxima ascribendum est: Non enim à corpore principaliter vel originaliter, sed ab anima fluit hæc operatio.

§. 3. Cūm verò vicissim anima suas habeat quasi partes s. facultates, nempe τὸ ἀλογον potentiam irrationalem, & τὸ λογικὸν rationalem lib. 1. Eth. c. 13. facultas autem ἀλογικὴ sit τὸ φυσικὸν ἢ τροφικὸν potentia vegetabilis, in nutritione, accretione, & generatione occupata, quæ ratione non utitur, & homini cum plantis est communis: Et potentia sensibilis ratione quoque destituatur, hinc in harum actionibus felicitas locari nequit, sed rectè à Philosopho ψυχῆ λογικῆ anima rationali ascribitur, ad removendas hinc operationes animæ vegetativæ & sensitivæ ut sensitivæ, quas cum plantis & bestiis homo communes habet.

§. 4. Unde porrò manifestum evadit, summum bonum nō trahere ortum à fortuna, contra quorundam opinionem. 1. à non Ente enim nihil potest proficisci: sed fortuna est non Ens, ut docet Scal. Exercit. 188. ex Aristotelis lib. 7. Eudemiorum. Fortuna enim nihil aliud est, quā ignoratio, & obscuritas verarum causarum, ut Cic. lib. 1. Acad. quæst. eā describit: Hujus n. vocabulo usi fuerunt ii, quibus vera & propria causa rerum cognita non fuit, unde axiomata ista, ubi multum fortunæ ibi parum intellectus, & ubi multum intellectus, ibi parum fortunæ. Hinc etiam cum Domino Philippo lib. 2. Phys. ea, quorum causa nobis incognita est vel mirabilia videntur, ad causas per se referimus nimirum. 1. ad Deum & providentiam divinam. 2. ad bonos & malos spiritus, per quos ceu media

*dia & causas secundas Deum sapè agere certum est. 3. ad temperamen-
ta hominum, utpote quæ multa secum adferunt, quæ ab imperitis
judicantur casu aut fortunâ accidere. 4. ad inclinationes ab a-
stris ortas, siquidem hæc scil. astra multorum eventuum, qui for-
tuiti vulgo censentur, causæ sunt, attestantibus exemplis multis
à Philippo loco citato recitatis. Et tandem 5. ad cujuslibet homi-
nis mores, qui sapè eventum vel tristem vel latum accersunt, quæ
vulgus fortuitum censet.*

2. Ponamus autem, dari ejusmodi fortunam, nihilo tamen
magis ab hac summum dependere potest, est enim *bruta, mutabi-
lis & inconstans*, etiam ex ipsius asseclarum assertione. Sed *ab in-
constanti & mutabili, non constans & stabile, vel firmum* dependet,
quale est hoc nostrum bonum, quod cum ratione & virtute con-
junctum: Aliàs enim *effectus esset nobilior sua causa*, quod per na-
turam impossibile.

3. Si à fortuna proveniat felicitas, sequitur, quod omnia consi-
lia Ethica & præcepta politica frustranea sint, frustra enim de
hac re deliberatur, quod in potestate aliena situm est, frustra et-
iam svadetur ac præcipitur id, quod consequi nemo à se & per se
valet, sed à cæco fortunæ ductu unicè promanat.

III. VII. Altera differentia petita est à *forma*, quod nem-
pe operatio sit animæ rationalis *secundum virtu-
tem*.

§. 1. Formæ ergò locum *virtus* sibi vendicat, hæc enim fun-
damentum quo tota innititur beatitudo, & sublato hoc, corrui-
& ipsa & collabitur certò certius: Hæc summo bono s. operati-
oni ex anima rationali prodeunti decus conciliat; Hinc pluri-
mum differunt hæc duo, *agere, & agere secundum virtutem*, prius
quibusvis & improbis & bonis est commune, posterius autem
non, nisi boni viri & virtute præditi est officium: Actio ergò vir-
tuosa s. bona hîc intelligitur, quæ bonitas non est æstimanda to-
ta ex intentione finis, sed etiam ab interno habitu, dantur enim
actiones, quæ non præcisè & absolutè sunt bonæ, quales sunt, v.
g. actiones justæ, quæ ab homine etiam non justo fieri possunt,
non enim unum idemq; est, justum agere & justè agere, prius et-
iam in injustum cadere potest, posterius autem minimè, & licet
finis nempe justitia adsit, forma tamen & essentia actioni deest,
quia deest habitus atq; recta ratio.

§. 2. No-

§. 2. Notari autem hic benè volumus, quando virtutem
ceu formam actionis venditamus, nos virtutem *non habitualiter,*
sed exemplariter seu idealiter, quatenus est idea honestatis, & exemplar
probitatis seu norma & regula, secundum quam omnes actiones
virtuosæ sunt instituendæ & perficiendæ, intelligere. Si enim
tantum habitualiter accipiatur, tunc potius locum causæ, quam
formæ sibi vendicat: nam causa actionis ab Ethicis accuratis,
statuitur *triplex, Animus, Homo & Virtus*, Ubi *Animus* ipsis est prin-
cipale principium agendi, *Virtus* a. sit ratio directionis, per quã
actio dicitur recta, *Homo* a. demum virtute præditus sit princi-
pium integrum & completum, quã de re *vid. Piccolom. grad. 9. c. 27.*

TH. IIX. Tertia Differentia desumpta est à *proprio,*
quod Aristoteles posuit in virtute optima
& perfectissima.

§. 1. Virtus enim cum sit *qualitas, magis & minus recipere ca-*
pax est, tale enim requisitum competit qualitatibus. Et quamvis
minus accuratè hoc à nobis assertum videatur, cum quælibet
virtus sit ipsa perfectio, quodq; etiam rectum sit, quo rectius da-
ri nequeat: Attamen ominò saltem ita videtur & reverà res sic se
nò habet, cum assertum nostrum probet (1) ipsa experientia, si qui-
dem in nobis & aliis experimur, virtutem hanc vel istam in uno
vel alio individuo esse perfectiorem, & quotidiè magis magisq;
excoli posse; Cui (2) accedit, quod virtutes a sevefactione compa-
rentur, unde quo major vel minor a sevefactio concedatur, eò
major & minor concedatur virtus necesse est; Ad removenda
a. obstacula distingvimus inter *perfectionem essentialem & acci-*
dentalem, ut & inter *modum essentialis & modum existentis s. inhæ-*
rentis, concedentes, quod *ratione essentialis* virtus non recipiat magis
& minus, sed *ratione accidentium*, & quatenus huic vel isti subje-
cto inhæret, v.g. Temperantia vel Fortitudo *ratione sue essentialis*
una quidem & simplex est, nec variata ullis gradibus, ratione au-
tem *inhærentis* omninò admittit gradus, ut rectè dici possit, hic
est fortior vel temperantior altero. Quibus præsuppositis rectè
Philosophus naturam summi boni censuit in virtute optima &
perfectissima; Ad summi enim boni naturam constituendam
non nuda virtutis requiritur *præsentia, sed ejusdem excellentia*, tan-
ta scilicet, quæ hominis viribus comparari potest, quæq; huma-
næ conditionis est. Hoc probatur 1. à *summi boni natura*, Summum
enim

enim bonum est id, quod est perfectissimum & summum in suo genere, si scil. non *ratione ὑπάρξεως*, prout subjecto inest, & hominibus in hac vita constitutis competit, consideretur, tali enim modo non est in gradu summo, sed remisso: Verum si *ratione ἁπλῆς* vel *essentia & perfectionis* suæ æstimetur, eatenus enim consistit in indivisibili, & est summum & perfectissimū bonum (2) *probat* ab Aristotelis sententia. Hic n. scribit lib. 1. Eth. c. 7. εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταὶ κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην h. e. cum plures sint virtutes, summum bonum requirit optimam & perfectissimam.

§. 2. Quæ a. sit illa *optima & perfectissima* digladiantur Ethici inter sese: nonnulli *justitia*, alii *prudencia*, alii alii hanc dignitatem ascribunt. Nos existimamus, *Philosopho non in specie de alterutra tantum inter multas solum præeminente sermonem esse*, sed *de virtute in genere*, ut possit distribui in singulas species, adeoq; de omnibus in gradu summo, qualis quidem in hanc imbecillitatem cadit; sicut enim ipse terminus virtutis non *numericè* vel *specificè* in definitione sumitur. (Si enim secundum hanc vel illam in specie aut individuo operatio absolveretur, reliquæ essent formæ & media supervacanea, imò aliquis posset secundum talem virtutem felix nominari, licet secundum reliquas vitiosus esset, quod absurdum, non enim beatus censeretur debet, qui fortitudine quidem præditus, aliis a. vitiis pollutus est, partem ille habet felicitatis, non a. totam beatitudinem) sed *genericè*, ita ut omnes sub se contentas species non excludat sed includat. Nam sanè conveniens erat, attribuere *generi*, quod *omnibus speciebus* convenit, & *contrà* assignare *speciebus*, quod *generi* competebat, dum enim omnes virtutes in specie habent, ut secundum ipsas *ἐνέργεια* fiat, meritò etiam *Generi* hoc non denegandum, & dum huic, etiam *speciei*. Atq; sic minimè putandum per virtutem vel *Sapientiam* vel *Prudentiam* reliquis exclusis saltem innui in definitione: Quælibet n. *perfecta & optima* videtur in *suo genere*, dum scil. nondum subjecto inexistit, licet n. interdum una alterâ perfectior videatur, hoc tamen ei non *ratione suæ naturæ genericæ*, sed *subjecti* convenit, ut sæpè dictum.

§. 3. Quod a. Definitionem Philosophi aliquâ restrictione auxerimus, & vocabulum *morale* adposuerimus, nemo nobis vitio vertet; Non n. hoc sine prægnanti causa à nobis factum: Monstravimus statim in titulo, & in ipsa thesi, nostrum institutum

tūm nōn esse de *bono Theoretico*, sed *practico* hāc vice agere. Hoc ergo sc. *Practicum* in specie, non autem illud scilic. *Theoreticum* simul erat definiendum. Definitio a. hāc Aristotelis prout jacet, *Generalis est*, utriq; bono & *Morali* & *speculativo* conveniens, adeoq; *latior suo definito*, quāq; *specialem non constituit*, quod cuius paulo altius in eandem inquirenti ad oculum patet: Utrumq; n. bonū est ἐνέργεια τῆς ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ, quod *Piccolomineus grad. 9. Phil. Moral. c. 28.* & *Sagittarius in templo virt. f. Exercit. Eth. lib. 1. satis nervosè ostendunt*. Quibus non refragatur ipse Philosophus, sed ut mentem suam nobis satis aperiat, in primo *Moralium* tradens hanc definitionem, eam ut communem, competenti omni felicitati, sive in actione sive in contemplatione positæ, proponit, agit enim ibi de fine communi, quem explicat, hinc *lib. 10. Moral. c. 6. & 7.* locuturus de summo bono in contemplationeposito, accipit hanc definitionem *lib. 1. Moral.* à se traditam, atq; ex eā elicit summum bonum in contemplatione situm. Hoc obstaculum prævidimus, idq; vitare voluimus adjectā voce *Moralis*, ut cuius pateat Differentia, quā bonum *Theoreticum*, sit actio, &c. *secundum Virtutem intellectualem*, & contemplativam: hoc a. *Practicum secundum Virtutem moralem*: Adeoq; specialis boni, specialem quoq; daremus definitionem.

TH. IX. Quarta differentia desumpta est ab adjuncto vel subjecto, quod est vita perfecta.

§. 1. Perfectio autem vitæ triplici modo competere potest, (α) *Ratione ætatis* nempe *virilis* seu ad minimum *juvenilis*, quæ opponitur puerili, quæ imperfecta, non tantum ratione corporis, sed etiā ratione animi, cujus cognitio admodum debilis & angusta, unde ad virtutum actiones inidonea: Nam ad harum exercitium requiritur (1) *agibiliū cognitio*. (2) *accurata deliberatio*. (3) *libera electio*. (4) *appetitus castigatio*. (5) *constans executio*. Quæ omnia puerili ætati denegantur ob imperfectionem ætatis, non quidem hanc solum, sed etiam ob imperfectionem ratiocinationis & iudicii: Ætas quidem puerilis rationem suam habet, sed tamen huius usum vel planè nullum, vel satis exiguum, uti testatur experientia. Hinc ad consequendum summum bonum requiritur etiam (β) *perfectiora rationis & iudicii*, si quidem sola ætatis perfectio non sufficit, cum etiā in viris, imò in senibus sæpissimè magna reperiatur stultitia: Unde omninò necessariò requiritur, & rerum experientia & solida judi-

eii constantia (γ) *Perfectio* tribuitur etiā vitæ *ratione durationis* & *cō-*
stantis actionis, quæ ad beatitudinem quoque necessaria. Nam felici-
tas non est res momentanea & citò transitoria: Nullus enim *mo-*
raliter in momento redditur perfectus, sed actio debet esse diutur-
na ac constans: Sicut n. una hirundo non facit ver, ita una actio
non beatum; Sed qui crebrò virtuosè agit, is & perfectam vitam vi-
vere, & beatitudinē habere dicitur: Quod innuit quoque *Cicero lib. 2.*
de fin. Neg. inquit in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita
beati duci solet. Sensus proinde definitionis Aristotelicæ est, quod
beatitudo sit constans virtutum operatio à primo virilis vel etiam juve-
nilis ætatis puncto, ad extremum usq; vitæ articulum continuata.

TH. X. Hactenò summi boni natura ratione definitionis, nūc
quoque brevibus ejusdem consideratio ratione notarum
essentialiū. Quarū hinc inde à Philosopho 12. recēsentur.

§. 1. Notandum hīc est, quando summi boni *notas* vocamus
essentiales, per *essentiale* nos non intelligere *συστατικὸν* s. *constituens*,
aliās n. essent notæ istæ, vel materia vel forma, vel operatio ipsa,
quod falsum, sed *παρεπὸρμον* s. *consequens*, sunt n. modi & affectio-
nes, quæ quoniam ipsius naturæ proximè insunt *essentiales* dicun-
tur. Hæ a. non in uno certo loco à Philosopho describuntur &
annotantur, sed hinc inde recensentur, Primarias hac vice saltem
videbimus, cum reliquas angustia chartæ continere nequeat. (1)
Ponitur *lib. 1. Eth. c. 5.* dum vocatur *οἰκείον* *domesticum* vel *proprium*,
ejus scil. hominis, qui possidet. Nam soli homini competit, & in ejus
optima parte anima scil. situm est: Hinc *brutis* & *aliis substantiis na-*
turalibus denegatur; Nihil n. absurdius, quàm bestias in hujus hu-
manæ *ἑταίρειας* societatem adsciscere velle, est *ἐνέργεια βελτίο-*
υ & *ἀνθρώπων* *lib. 10. Eth. c. 6.* Hinc rectè *εἰδίων* dicitur *ratione hujus*
subjecti inhesionis, ut & (2) *ratione acquisitionis*, quatenus non ab alie-
no labore & favore dependet (cū tale esset mutationi subjectum
& modò faventibus daretur, modò indignantibus adimeretur) sed
quod in nostra est potestate positum, & per se quivis suo labore ac-
quirere potest, & quando particeps factus, pro suo lubitu uti fruiq;
valet: imò dicitur *proprium* (3) *ratione etiam ipsius possessionis*, quia nō
est hæreditarium, sed quisq; qui id ipsum assiduo virtutum exerci-
tio comparavit, id etiam possidet. Tandem etiam (4) *vocatur pro-*
rium ratione usurpationis, dum ab eodem, à quo acquiritur, & à quo
possidetur, identidem usurpatur: Felix n. secundum virtutem o-
ptimam.

ptimam instituit suas operationes: Quod tamē cum grano salis ac-
ceptum volumus, scil. de *hujus boni exercitio*, non autem de *eiusdem*
utilitate, eatenus n. *omne bonum est diffusum, & sui communicativum*,
lib. 1 Eth. c. 5. Neq; summum hoc bonum est *monasticum*; quod soli-
tariæ vitæ competit, sed *politicum & publicum*, quod in vita civili &
conversatione quotidiana exercetur, & quod non taciturnum de-
litefcit, sed prodit & amplissimos de se spargit radios.

II. Δι' αὐτὸ καὶ αὐτὸ ἀγαπᾶται per & propter se expetibile *lib.*
1. Eth. c. 3. & 7. Ordo n. bonorum hoc requirit, ut unum propter se,
reliqua autem propter istud appetantur, aliàs appetitus nunquam
sisteretur vel terminaretur in suo desiderio. Ubi tamen notandum,
per καὶ αὐτὸ nos non remove finē ᾧ, sed saltem finem ᾧ, quod sc.
non sit expetibile propter aliud bonum, aliàs n. non esset perfectis-
simum bonum, si n. non propter se, sed propter aliud expeteretur,
tum præstantius foret bonum id, propter quod expetitur, adeo q̄ve
summo & perfectissimo bono daretur aliud superius & perfectius,
quod ἀντιφατικόν.

III. Δυσὸ φέρειν *difficulter mobile*. Inconstantia n. & fugacitas
arguit imperfectionem: Stabile ita q̄; & immobile sit oportet, quod
bonum esse, & appetitum sistere debet; Quò quid n. tenacius &
constantius, eò melius, quò a. fugacius, eò vilius æstimatur. Summū
igitur bonum fixum & durabile est, & quidem (1) *propter causam ef-*
ficientem, quæ vel remota ipsa scil. *assuetudo* vel *consuetudo*; Hæc n.
difficulter movetur, cum juxta illud vulgatum ἔθ' ἢ ἄλλη φύσις
consuetudo altera natura, id quod approbat *D. August. lib. 6. de Mus.* di-
cens: *consuetudo quasi secunda & affabricata natura dicitur: vel proxi-*
ma ipse scil. habitus: Hic a. firmissima & cōstantissima qualitas, quæ
propterea etiam opponitur dispositioni, quæ qualitas mobilis (2)
propter subjectum, quod est vir bonus, qui in omnibus suis actioni-
bus est constantissimus, ne quolibet movetur vento, in adversis nō
supprimitur, in prosperis non extollitur, sed semper sui similis est,
unda τετράγωνος *s. quadratus* dicitur; Sicut n. difficilius ea, quæ
quadrata sunt, moventur, ita hac appellatione boni viri constan-
tia insinuatur. (3) *propter effectum*, qui est *bona conscientia & voluptas*
honestas, hanc qui semel rectè perceperit aut gustaverit, non facile
mutabit. Summum igitur bonum stabile & summè fixum esse de-
bet, quod tamen cum grano salis iterū asserere volumus, ut scil. *sta-*
bilitas intelligatur nō simpliciter absoluta, sed comparata respectu flu-
xorum.

984
77
(1)

xorum & citò mutabilium, ut sunt bona naturæ, bona corporis &c.
Absolutum n. (quod ex virtuoso vitiosum, & ex felici miserum fieri
simpliciter prohibet) *minimè indigitamus*. Est n. accidens, quod cõ-
tingenter adesse & abesse potest: *Experientiæ* quoq; contradicere-
mus, testando multos felices miseros fieri: Imò tacemus, quòd *prin-*
cipium Theologicum labefactaretur: *Sanctissimos etiam mortaliter pec-*
care posse. Quod si ergò Spiritus Sancti gratia amitti potest, & ho-
mines sanctissimi in vitia sint prolapsi, & adhuc prolabātur, adeo-
que facti infelices, rectè exinde concludit *B. Meisn. in dissert. de sum-*
mo bono, virtutem Ethicam, quæ nondum adeò excellens, ut sancti-
tas Theologica, deperdi, & consequenter moralem beatitudinem
amitti posse. Quare cum illo adjicimus hanc cautelam ex *1. Cor. 10.*
v. 12. Qui stat videat, ne cadat; Et his, quæ ad præsens institutum
vergere videbantur, enucleatis finimus, & præsentem disputatio-
nem concludimus, reliqua, quæ restant, sequenti discus-

sioni reservantes.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Præstantis. Dn. Respondentem.

Fortunæ sibi quisq; faber, se quisque beatum
Reddere, nî tantùm non velit ipse, potest.
Nam Fortuna hominis, mens est virtute polita,
Non ea, quæ calus ferre, negare solet;
Quæ licet exornent hominem, menti quæ ministrent,
Promptiùs officium tractet ut illa suum:
Non possunt inter miseros tamen, atque beatos
Haud decepturum gignere dissidium.
Quàm multi in solio miseri ac diademate fulgent!
Quàm vesti laceræ sæpè beatus inest.
Te sane, *Schmidi*, puto non externa beatum,
Ipsa sibi sed quæ mens fabricare potest,
Reddiderunt, reddentq; magis. Nam pergere velle
Te, sitis in studiis insatiata probat,

Εὐφρησίας ἔνεκα scrib. ex temp.

M. Jacob. Thomafius,
Moralis Philos. P.P.

F I N I S.



DN. CHR
 appri
 cæ Sit

DN. PHIL
 Confu

DN. CASP
 gendor

DN. JOHA
 dinis A



quis

quiti Divi Marci
 ornis, Rei Politi-
 ravisimo, &c.

ario in Beethe &
 issimo.

editario in Nat.
 prudentissimo.

& Senatorii or-

Reipublica

Fautoribus
 andis

quam operam

s appreciatione
 strenua loco

AUTOR.

